

LXIII M. A. SABELLICI

simum sextum Hieroglyphicorum librum, ejus auditorem se fuisse gloriatur: Incubueram ego nunc in prima literarum tyrocinia, audiebamque in arte dicendi Prunulum, in eloquentia Sabellicum, in varia rerum eruditione Georgium Vallam, &c. Valerianus idem Sabellico mittit unam ex elegiis, quae primo Amorum libro pag. 16. (a) habetur cum illa inscriptione: Ad M. A. Sabellicum praeceptorem de portentis, antequam totus terrarum orbis in Venetos conspiraret. Ibi prae caeteris ita magistrum suum celebrat:

(a) Ven. ap.
Fol. 1549.
in 8.

Interea venerande senex nos instrue Musis,
Dum licet, & Venetum pax fovet alta solum.
Dum trabis eduras suavi testudine quercus,
Et liquido lapsas aere sistis aves.
Dum Venetum historias, primaque ab origine mundi
Ad tua conscribis tempora res hominum.
Te sequimur, tibi docta cohors se dedicat uni,
Ut nunc quisque animis ingenioque valet.

Petrus-Georgius Chalcedonius, ipse quoque illius discipulus, Sabellico, aetatis nostrae decori, nuncupat Orbis breviarium Zachariae Lili, Vicentini, subjicitque nuncupationis ejus causas. Quamobrem ex omni scriptorum numero, qui rem latinam jurerunt (prisca saecula excipio) nemo (dico quod sentio, & quod mecum sentiunt omnes docti) majore est commendatione dignus, quam meus Sabellicus. hujus certe lectio, ut videre est, lectoribus minime est fastidio: omnesque eum amant, colunt, & tanquam latialis linguae instauratorem venerantur. Nec immerito. solus enim est Sabellicus, qui bonas artes jam obsolescere incipientes, & scribendo, & legendo in dies locupletiores reddit, &c.

Domitius Palladius, Soranus, alius item discipulus, inscribit Sabellico latina sua carmina, edita Venetiis per Io. Bapt. de Sessa Mediolanensem, 1498. die 26. mensis maji, in 4. Epistolae illud est exordium: Domitius Palladius Soranus M. A. Sabellico eloquentissimo. Felicitatem. Scio ego, Sabellice eloquentissime, quantas libelli hujus editione sim invidorum procellas concitaturus: a quarum rapacissima vortigine demum vix me subtraherem: nisi certum ipse haberem te quandoque, qui & Venetam hanc urbem, ubi honorificentissime degis, & totum fere orbem fama & admiratione implesti: perinde mihi ac minervae clypeum tua autoritate impendentem omnem malignitatis vim excussurum, &c. Leguntur ibi, praeter elegiam unam, quatuor epigrammata in Sabellici laudem, aliudque insuper epigramma in Marii filii tum adolescentuli commendationem.

Abbas Trithemius eum laudat in praefatione Annalium Hirsaugensium, & libro de scriptoribus Ecclesiasticis, ubi dicitur ab ipso vir undequaque doctissimus, philosophus, orator, & poeta omnium nostrae tempestatis celeberrimus, Venetias sua eruditione & libris exornans, sermone disertus, utriusque linguae peritus: subjiciens, Hermolaum Barbarum, qui Aquilejensis fuit Patriarcha, non autem Venetus Archiepiscopus, quemadmodum, quibus de causis nescio, eum Trithemius vocat, eidem librum de praeceptis historiae conscribendae nuncupasse. Hic tamen liber ab alio nemine, quod sciam, neque impressus, neque manu exaratus, conspectus umquam est. Scribebat haec Trithemius anno M. CCCC. LXXXIII. cum adhuc in vivis ageret Sabellicus; quo etiam tempore Jacobus-Philippus Bergomas, longum illud ipsius concinnavit elogium, quod legere est decimosexto Supplementi libro pag. 436. & 437. editionis Venetae anni M. D. III. in fol.